

Abbas noster in describendis utriusque *Indiae* regionibus et Incolarum moribus, ex eorum maxime relatu, qui Evangelium illuc intulere, quibus de rebus nunc quidem longe exploratiora tenemus. Opusculum tamen postremum vel hodie non sine voluptate legi posse putem, si modo integrum extaret in *Codice*. Sed nempe *Cap. XIII.* abrumpitur. Autoris *Αυτογενεσθου* esse totum *Codicem* facile adparet, id, quod et de II. Sequentibus dictum velim.

CLXIX. VIII. 9. 9

586 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 340. inscribitur: *Numerorum Allegoriae et Mysteriorum XX. Libris explicata. Auctore R. P. D. Carolo Stengelio Abbate Anbusano Ord. S. Ben. Opus omnibus SS. Litterarum Studiosis, maxime vero Verbi Dei Concionatoribus apprime utile et maxime necessarium. Censetur hoc Opus πολυισορικον in Catalogo ab ipso Autore confecto et supracit. inter ea, quae *Praelum proxime expectant*, praefertque p. 2. Adprobationem Vicarii gen. jam memorati datam *Augustae 7. Junij 1649.* Cur vero lucem non viderit, ignoro. In *Praef.* ait *Stengelius*, se illud in exilio constitutum conscripsisse. Exactus enim ex Abbatia sua primum 1632. et iterum 1641. reliquum laboriosissimae vitae ab an. 1647. ad an. emortualem 1663. in Coenobio *August.* ad D. *Udalricum* perdu-*

xit, ut pluribus habes apud *Ziegelbauerum cit. P. III. p. 386.* Congessit porro in Opus istud maximam cum sacrae, tum profanae Antiquitatis copiam, de qua, uti et de Tractationis methodo, quo praecipere possis, *Libri I. 21. Capitibus* constantis Argumenta adscribam:

I. *De laudibus numerorum artisque Arithmeticae.* II. *Nonnulla de numeris ex Philosophia sacra Franc. Valesii.* III. *Discrimen inter numerum et multitudinem, ejusque Significationes.* IV. *Quid sit esse in numero, et nullo numero. Item numeri variae significationes.* V. *De variis Numeri divisionibus.* VI. *De numero sphaericali seu circulari.* VII. *De Unitate.* VIII. *Vnus calamus apud Ezechielem quid significet.* IX. *De unitate Ecclesiae variae Allegoriae.* X. *Vnitas Allegoriae ad mundum accommodata.* XI. *Vnum in quantum primum vel principium significat per alpha saepe expressum.* XII. *Alia unitatis mysteria et allegoriae.* XIII. *Quid uno ore, item quasi vir unus in sacris litteris.* XIV. *Vnus serit, alius comedit; item unus aedificans et unus destruens; unus orans et unus maledicens.* XV. *Executitur dictum Sapientis: Qui in uno peccaverit multa bona perdet.* XVI. *A scintilla una augetur ignis.* XVII. *De unitate fidelium: item variae unitatis et concordiae commoda.* XVIII. *Allegoriae aliquot ad unitatem spectantes: de Josepho pallium relincente: transitu maris rubri: de manna et sale in omni sacri-*

477

HERMENEUTICI.

478

sacrificio addendo &c. XIX. *De agno vel victima paschali allegoria.* XX. *Allegoria et descriptio Arcæ foederis.* XXI. *Variae sacrificiorum et holocaustorum allegoria.* Ita Libri sequentes hujus I. *Voluminis* agunt de *Binario, Ternario, Quaternario* et *Quinario*, quibus subnexus est totius Operis *Elenchus.*

CLXX. VIII. 9. 10.

586

Volumen II. Folior. usque ad 690. procurrentium incipit a *Libro VI.* qui de *Numero Senario* tractat, definitque cum *Libro XX.* quo *Millenarius*, ejusque *Progressus* varii illustrantur. De *Autore* id adjiciendum videtur, fuisse eum fratrem *Georgii Stengelii Jesuitae*, confundique quandoque *Opera*, quibus *Par istud Fratrum πολυγραφον* Remp. *literariam* auxit.

CLXXI. VIII. 9. 15.

591

Codex membraneus *lat. Sec. XII.* *Folior.* 209. 4. probe scriptus, rubricisque distinctus sequentia continet: I. *Incipit prefatio in collectione distinctiva de diuersis Acceptionibus verborum.* Initium: *Diuersas in sacra scriptura uerborum acceptiones minus studiosis lectoribus colligere curavi &c.* *Hinc est quod inter occupationes plurimas tam mee paupertati quam amicorum utilitati consulens. multiplices sacre scripture paginas percurri. doctorumque uolumina lustravi &c.* Primum, quod tractat, Ver-

bum *Aqua* est, de qua sic: *Aqua spiritui sancto comparatur quia refrigerat ut ipse.* *Vnde spiritus sanctus superueniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi.* *Reficit. ut ipse.* *Vnde venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego vos reficiam.* *Et aqua sapientie salutaris potabo illum.* *Semper fluit ut ipse.* *Vnde spiritus ubi vult spirat.* *Igitur est aqua refrigerans. Aqua reficiens. Aqua rigans.* &c. Ita deinceps nullo seruato ordine diuersa *Scripturae* *Sensa* literaliter aut allegorice exponuntur, comparantur, illustrantur, nullo *Doctorem*, quos *Autor* se lustrasse supra dixit, nomine expresso. Neque mihi de ejus nomine, aut patria est, quod dicam, nisi quis *Germanum* velit ex eo, quod in *Titulo de Pane fol. 42.* scribit: *sicut Zuchare uel alia species solet diutius in ore teneri ob sui saporem.* Claudit ille *Collectionem* suam his verbis: *Et ego gratias semper agam domino et eum laudabo et finem faciam in hoc scripto.*

II. *fol. 112. p. 2.* sequitur *Sylloge Sermonum* facile *LIV.* ut plurimum brevium, ejusdem, ut videtur, *Autoris.* *Themata* varia sunt, de *Festis Domini*, de *B. V. de Apostolis* et *Confessoribus* generatim, de *S. Johanne Bapt.* *Praeterea de Canticis, de Levitis, de Triplici Mensa, de Apocalipsi, Sermo penitentialis, et moralis &c.* Initium *Sermonis I.* *In vigilia Nativ. domini* est: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa &c. fidelis*